

terae tardius pervenerunt, sed omnes qui consecrationis iteraverint formam die solemni Sanctissimo Cordi Iesu sacra proximi anni, vel dominica proxime sequenti, ac cetera praescripta servaverint, de privilegio prorsus singulari iisdem fruantur indulgentiis, quae in memoratis Apostolicis Litteris expressae sunt.

Ex his facile intelligi potest, quam curae sit Summo Pontifici haec forma pietatis atque omnium quotquot in orbe sunt dedicatio Sacratissimo Cordi Iesu. Confidit enim Beatissimus Pater, sicut edixit, tum denique fore ut sanentur tot vulnera inflicta hominum societati, ut ius omne ad pristinae auctoritatis exemplum revirescat, ut restituantur ornamenta pacis, quum *omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesu Christus in gloria est Dei Patris.*

Spem certam foveo, singulos Antistites de studio atque industria, cuius tam praeclarum specimen huc usque ediderunt, nihil cessuros in posterum ut quamplurimi Ecclesiae Filii utentes ad salutem Apostolicae liberalitatis munere, acquirantur Christo, et *hauriant aquas in gaudio àe fontibus Salvatoris.*

Interim Amplitudini Tuae fausta cuncta ex animo adprecor.

Romae, ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 27 Novembris anno 1899.

Amplitudinis Tuae

uti Frater

C. Episcopus Praenestinus Card. MAZELLA, *S. R. C. Praef.*

D. PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

---